

EPISCOPI ARGENTORATENSES.

221

plures vero præclaros antistites. Hos inter ineunte hoc seculo XI. Ma-
 billionius primum celebrat Alewicum, Augiensem prius abbatem, nimis
 tamen maturo fato ereptum. Successorem is anno 1002. habuit Wer-
 nerum vel Werinharium I. quem pluribus celebravit P. Herrgottus in ge-
 nealogia sua Habsburgica, nosque deinceps amplissima eius in Aleman-
 niam Silvanque nostram merita hinc inde per huius seculi decursum pro-
 sequemur. Conditor is erat arcis Habsburgicæ, gentilitii in Argovia Hel-
 vetiæ castri, quod nomen dedit Augustissimæ Habsburgo-Austriacæ gen-
 ti, cuius postremum furculum in Augusta Maria Theresia, nuper erep-
 tum adhucdum luget orbis. Wernerus hic noster non modo civitatem
 Argentinensem e ruinis excitavit, atque insignis in ea Basilicæ hodie dum
 inter orbis miracula celebratæ fundamenta posuit, sed & aliis quam pluri-
 mis erectis ecclesiis & monasteriis numquam intermoritura Habsburgicæ
 virtutis monumenta reliquit. Inter quæ quidem præcipuum fundatum ab
 eo Murense monasterium postea commemorabimus. Firmatis huiusce
 foundationis pactis, iussu Conradi imperatoris legatus ad Constantinopoli-
 m abiit, comitante eum inter alios etiam Manegoldo de Werde, mona-
 sterii Werdenfis ad Danubium fundatore, ut legere est apud Oefelium,
 in historia scilicet Bertholdi secundi abbatis eiusdem cœnobii, ubi ab
 isto Manegoldo illuc allatam fuisse veræ crucis particulam memorat ex
 legatione Constantinopolim, ubi Wernerus anno 1029. mortuus est ac
 sepultus.

SECULUM
XI.*Præf. sec. V.
Bened. n. 20.**Script. Rev.
Boic. T. I.
p. 334.**Gall. christ.
T. V. p. 793.*

Succedit eidem Willhelmus I. filius Ottonis Bavarie ducis, Ottonis
 I. Imp. pronepos, frater Gregorii V. P. ac Conradi Salici Imp. patruus,
 qui ex Hermanno Contracto, an. 1047. obiit. Huic teste eodem Hermanno
 an. 1047. Henricus III. Herrandum substituit, qui in Gallia christiana
 vocatur Hetzelo vel Hetzelinus, optime de ecclesia sua meritus. Seculum
 hoc claudit Otho de Hohenstauffen, frater Friderici Suevorum ducis, qui
 Henrici IV. gener erat, ut adeo mirum haud sit, eum in fragmento histo-
 rico apud Urstifium ad annum 1079. vocari schismaticum, utpote Hen-
 ricus IV. partibus contra Papam addictum, & tanto quidem studio, aiunt
 Gallie christiane auctores, ut etiam ad suppeticas Imperatori ferendas mo-
 nasteria expilaret. Vestigia nimirum pressit sui ante Theobaldum præ-
 decessoris Garneri seu Wernerii II. anno 1065. iuxta Lambertum Heze-
 lino suffecti. Hic ex comitibus de Achalm, monasterii Zwifaltensis fun-
 datoribus oriundus erat, ut ex monumentis a Crusio in annalibus Sue-
 vicis, & P. Sulgero in annalibus Zwifaltensium prolatis palam fit, nos-
 que ipsi de Rudolpho Rheinfeldensi alibi tractantes animadvertimus. Di-

*L. c. p. 794.**Script. P. II.
p. 83.**L. c. p. 796.*

E e 3

fcimus